

Wc
519



H. 6

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



PARENTATIO

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DO-
MINO IOHANNI, DVCI SA-
xonix, Landgrauio Thuringix,
Marchioni Misnix,
&c.

IN ILLVSTRI GYMNASIO

Schleusingenſi, piæ gratitudinis erga ipſum beatif-
ſimè defunctum principem, erga relictos Illuſtriſ-
ſimam Viduam & Generoſiſſimæ indolis Fi-
lios humilime *ουπαδειας* declaranda
cauſſa, facta ab eiuſdem
Rectore

M. Wolſgango Sebero Sulano.



SMALCALDIÆ, &c.

M. D C V.







O R A T I O.



QVOD SOLON IN ELEGIA SUA PRO-
 nunciat, Reuerendi, Amplissimi, Clarissimi, Pruden-
 tissimi, ac Doctissimi viri, & vos adolescentes, dile-
 ctissimi, quod sapientissimus ille Atheniensium Le-
 gislator in Elegia sua pronunciat, publicorum ma-
 iorum hanc esse rationem, vt ad singulos aut singulorum
 ædes pertingant: illud nimis ab eo verè pronuciari, vtinam
 ne hoc tempore nostro ipsorum exemplo testatum facere necesse ha-
 beremus. Quando enim Celsissimus quondam Princeps ac Domi-
 nus, Dominus IOHANNES dux Saxonie, Comes Prouincialis
 Thuringie, Marchio Misnie, &c. Dominus noster, dum vixit,
 Clementissimus mortalitatem hanc valere iussit, vnde Celsitudinis
 illius relicta Illustrissima coniux redacta ad viduitatem, filij gene-
 rosissimi orphani facti, nostræq; patriæ vna ex columnis, quibus ha-
 ctenus felicissimè sustentabatur, erepta est: numquis est terra huius
 incola, quin hoc tam acerbo casu se affici sentiat? quin mærorem
 Illustrissimæ viduæ participet? relicta generosissimæ at impuberis
 adhuc sobolis misereatur? ob patriæ deniq; lugubrem habitum in-
 gemiscat? Certè facere id debere omnes summos ac imos, diuites ac
 pauperes, seniores ac iuniores vobis, viri optimi, non est, quod ora-
 tione mea persuadere coner: factò loquente ipso, quàm vos præsens
 rerum status sollicitos habeat. Verùm de pube hac scholastica valdè
 dubito, an non sint in ea, quos nunquam satis hortaris, vt suam
 quoq; rem agi statuunt, dum publici huiusmodi luctus indicuntur:
 non id quidem ob aliquam animorum malitiam, melius enim spe-
 rare plerorumq; me iubet ingenuitas: sed propter ingenitam tene-
 ra huic ætati securitatem, qua occæcati plurimi haud cogitant, quid

A 2

pre-

prematuri huiusmodi bonorum Principum obitus prænuncient.
 Huic igitur ut subueniamus incommodo, simulq; Gymnasij etiam
 nomine συμπαθεαυ nostram Illustrissimis principibus declaremus.
 à vobis, qua par est modestia, obnixè contendo, ut interea dum ado-
 lescentia studiosa, qua de persona & obitu principis illam scire ma-
 ximè cupimus, paucis explico, aures mihi praebeatis benignas, & sic
 ubi verba tam graui & illustri argumento digna proferre haud va-
 luero, veniam tenuitati meae ne denegetis. Quod quidem vos fa-
 cturos nullus ambigo, si has me dicendi partes non sumsisse temerè,
 sed iussu hortatuq; Illustris Regiminis, nec sponte mea, sed flagitan-
 te officio huc ascendisse cogitaueritis. Quando autem plurimum,
 qua de personis instituuntur orationes, proficisci à patria solent aut
 natalibus: placet mihi etiam in praesentia morem illum sequi poti-
 us, quàm peculiarem aliquam viam rationemq; dicendi eligere.
 Nam quanquam non sum nescius, prouerbialis illius apud Graecos

τίς πατέρ' ἀνῆσται, ἢ μὴ κακὸς αἰ-
 μὸν ἐστί. Plut. in V. Arati princ.
 versiculi, quo hi potissimum laudis parentum studiosi di-
 cuntur esse, qui per se infelices sunt & illaudati: quærentes
 scilicet aliunde virtutis opinionem, quam factis consequi proprijs
 nequeunt: tamen intelligunt omnes, nequaquam id tanti esse mo-
 menti, ut vel animo iccirco generosus ab omni honorifica maiorum
 suorum mentione debeat absterreri: vel ex horum prædicatione ni-
 hil ad eum recedere ornamenti existimandum sit. Etenim cui talis
 contigit indolis bonitas, ut vitam moresq; vnicè ad præclarissima
 quæq; maiorum exempla instituat, ille omninò habet, quod in feli-
 citatis quadam atq; gloriæ parte laudès progenitorum ponat, siue ce-
 lebret ipse, siue alios celebrantes auscultet. Iudicat ita cum Pindaro
 Plutarchus, & hoc eodem teste nobilis ille Philosophus Chrysippus,
 cum hoc aliàs sensu recitaretur prouerbiū:

Quis patrem laudet, nisi nati laude carentes?

τίς πατέρ' ἀνῆσται, ἢ μὴ ἐὺς
 δ' αἰμὸν ἐστί. Plutar. περὶ
 repudiato illo, ad hunc citare modum solebat:

Quis patrem laudet, nisi nati laude vigentes?

Ac si rectè Euripides infames parentes quoddam in liberos etiam
 dede-

dedecus transfundere affirmavit, quid obest, quò minus à maiori-^{σι π α υ δ . α γ}
 bus gloriosis pars aliqua laudis cum posteris communicari perhibea-^{princ.}
 tur? Quam meam assertionem porro haberem autoritate D. Gre-
 gorij Nazianzeni stabilire, nisi à vobis iam pridem non tam isthac Ad Nicob.
 vocari censerem in dubium, quàm, quid hac digressionem velim, ex-^{vers. 147.}
 pectari. Sed quid censeo à vobis illud expectari? quasi quisquam
 sit, qui non vel nihil me amplius addente iam dudum & quò ten-
 dam intelligat, & me longè, quod res est, exponere melius queat.
 Quod enim princeps noster beatissimus è tali ortum ducit familia,
 cui vix similem reperias aliam, siue antiquitatem spectes, siue re-
 rum gestarum consideres gloriam, siue requiras magnitudinem di-
 gnitatum, siue pietatem, studiumq; verae religionis, & similia per-
 pendas, è tali familia quòd ortum ducit princeps noster, numquis
 inde ad Celsitudinem illius non aliquid pertinere gloria dicat?
 numquis non inde primordia laudum eius capienda iudicet? Scio
 petulantibus ingenijs nunquam deesse, quibus ea etiam, quæ per se
 laudatissima sunt, conspurcare audent, conuitia. Neq; id genus ho-
 minum fortè ab Illustrissimo etiam Saxonica stirpis nomine dentem
 suum mordacem abstinere solet. Verùm hinc auiti splendoris præ-
 stantia adeò nihil decedere arbitror, ut potius eam illustriorem inde
 fieri contendam: modo verò Ovidius summa petere liuorem: Rom. 1. v.
 poeta verò Græcus, non nisi præcellentia telis eiusdem obno- 359.
 xia esse, dixit. Taceo, quod haud rarò isti homines, quibus se con-
 uitiari putant, ijs non tam vitij alicuius aspergunt labem, quàm
 virtutum præstantissimarum laudem ascribunt. Exemplis si pro-
 bare id multis coner, vereor ne nimis longè à scopo deducar. Lice-
 bit tamen ex omnibus adducere vnum, præsertim tale, quod nec
 planè ab hoc instituto est alienum, & in suscepta me via quàm opti-
 mè deducet. Venerat in has regiones aliquando cum mandato Pon-
 tificis quispiam è Cardinalibus, qui cum à Magdeburgensibus, suis
 ipsius conuictus verbis, admittere cogeret, quod fieri aliàs volebat,
 indignabundus in hanc erumpebat vocem: Vos Saxones estis
 A; faxa.

Dionysius ap-
 pud Stob.
 serm. 38. N.
 139.

Sigefrid. Sac.
 Postill. part.
 1. p. 75.

saxa. Apparet quid voluerit, minimèq; laudasse ipsum Saxonas, sed stupiditatis eos atq; inclementia insimulasse nemo non intelligit. Quodq; communiter dixit de Saxonibus, quis dubitet, quin idem de illorum etiam Ducibus acceperit? quasi nomine ipso nec multum iudicij, nec clementiam magnam præ se ferre viderentur. Verum quid impedimento fuerit, quò minus vocem illam, quamuis contumelioso animo prolatam, sensu tamen maximè honorifico interpretemur: præsertim quia res ipsa non aliter fert, & veritas id prorsus efflagitat. Etenim saxi appellatione aut petra sæpè illi etiam nuncupantur, qui vel non effæminato sunt animo, sed ad quæuis pericula se intrepidus præstant: vel, quam præmissa accurata deliberatione semel conceperunt animo sententiam, ab ea nulla se ratione auelli patiuntur, exemplo Didonis, quæ verba faciente ad ipsam

Aen. 7. 470 Ænea,

*Non minus incepto vultum sermone mouetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.*

Age autem, Cusane, inspicere paulisper saltem historiam ducum, quos longa serie Illustrissima stirps Saxonica produxit. Faxo equidem inuenias ibi saxa, hoc est, animos saxis petrisq; similes, verum non stupore, non rigore aut inclementia, sed fortitudine, sed constantia saxis petrisq; similes: & constantia quidem non tantum ea, quæ in rebus civilibus propositi ac consilij tenax est, sed illa etiam, quæ in puritate doctrinæ cælestis conseruanda propugnandaq; adeò de statu suo non demigrat, vt potius vitam quam veritatem relinquat. Clementiæ autem Encornium, qui derogare beneficentiissimæ huic familiæ velit, is eadem opera ignem calidum, aut humidam aquam esse perneget. Ex illa igitur prognatum principem nostrum iam beatissimè defunctum auitæ gloriæ participem esse planè statuo: nec id tamen quasi propriæ virtutis ornamento careat, sed quoniam decus illud hæreditarium non tantum laudabiliter conseruauit, sed insuper etiam, quod haud iniuria in difficilimis rebus nurneres, moribus proprijs mirabiliter auxit atq; cumulauit, magisq; adhuc cumula-

emulaturus erat, nisi misericors DEVS eum suis de causis fragilitati huic subtrahere citius maluisset. Quod ne affirmasse tantum, sed aliquo etiam confirmasse modo videar, transeundum nunc porro ad ea est, quæ fidem dictis concilient: ubi si multa forsitan omisero eorum, quæ dicenda & ipsa erant, quædam verò quàm par erat, leuius attigero: facile spero, me conditio mea cuius bono excusabit, quæ sæpè vix umbram peruenire ad me sinit rerum, quas alij plene ac solide cognoscunt. Non autem puto esse, quod hic me aduersus istos præmuniam, qui statim atq; audiunt, alteri tribui ea, quæ captum viresq; suas excedunt, impudenter adulatorio id animo fieri, tam se homines esse quàm alios, è limo equè omnes formatos, à lege mortis immunes nullos & alia his similia ogganniunt. Probè nouerat Dux noster inclytus suam, qua homo esset, conditionem: primam vocem se similè omnibus plorantem emisisse cum Salomone, aut quocung; alio libri Sapientiæ autore libens profitebatur: esse communes cunctis vitæ huius casus & ærumnas, magistra sciebat experientia: mortis autem imperio se quoq; obnoxium esse, quis nesciuisse putet ipsum, qui ex vniuerso laudatissimorum maiorum numero neminem amplius superstitem cognouerit? qui patre dilectissimo IOHANNE WILHELMO, insigni heroe, tertio statim anno ætatis suæ orbatu fuerit! qui annis decem nouem post matris dulcissimæ DOROTHEÆ SVSANNÆ morienti astiterit? qui ab hinc triennio fratrem vnicum & iucundissimum FRIDERICVM WILHELMVM, præclarum illud familiae suæ lumen efferri tumulariq; viderit? qui demùm non longè post extincti præmatura morte summæ indolis ac spei filij IOHANNIS exequias maximo cum dolore profecutus fuerit? Hæc omnia cum recenti tenuerit memoria, quis putet ipsum nesciuisse, mortis imperio se quoq; omni tempore obnoxium esse? Neq; id nunc agere videri ego cupio, ut extra omnes humane sortis limites collocem, quem ut dignitate ac honore, sic virtutum etiam ornamentis longè alios antecessisse, adeoq; principe sese gessisse dignum, immò nisi DEO secus visum fuisset, dignum

Sap. 7. 30.

Ann. 1573

die 2. Mart.

Ann. 1592

die 29. Mar

tij.

Ann. 1602

7. Iulij.

Nat. 21.

Martij Ann.

1597. ob.

6. Octob. an.

1604.

dignum fuisse longiore vita discipulis meis ostendo. Etsi enim nemo hominum humani à se quicquam alienum putare debet: nec morti vlla vel etas, vel dignitas, vel virtus aut sapientia resistere unquam potuit: tamen non idcirco non verè dicitur, quod liberimus ille rerum arbiter aliquos cæteris eminentiores esse atq; imperare illis velit, quodq; præ cæteris sapientia eos exornet ac virtutibus, quò facere officium pro dignitate suum queant. Quam felicitatem beatissimo principi nostro per DEI gratiam verè contigisse, cuius iam ad oculum apparebit. Etenim statim atq; sacris Baptismi undis tinctus, & in numerum cooptatus eorum, qui Christi beneficio cælestis regni heredes sunt, ad id ætatis prouectus fuit, ut iam & voces formare, & audita utcumq; comprehendere memoria posset: nihil magis illi cura cordiq; fuit, quam ut totum sese ad sincerum DEI timorem sedulumq; doctrinæ purioris cultum assuefaceret. Verè dixit, si quisquam dixit verè, Sophocles:

Incepta si qua res tibi fuerit benè,
Illius & finis bonus futurus est.

- Plut. de aud. poëtis princ. ferè. Quod cum alij aliò accommodent, mihi videtur non malè ad vitæ tam cum omnium quadrare hominum, tum verò imprimis illorum, qui clauum aliquando imperij accepturi, Reiq; publicæ gubernaculum tractaturi sunt. Nam de constitutione principij vitæ communiter ita iudicat Philosophus, ut ab ea totius vitæ pendere curricula, asserere haud vereatur. Et princeps ille oratorum Demosthenes hoc ipso nomine Macedonia regno comminabatur ruinam & interitum, quod consilia & actiones regis Philippi non nisi periurijs & iniusticiæ, quibus à primis ille assuetus esset annis (verè an secus, ipse orator viderit) inniterentur: perinde ac domus aliqua seu nauis firma esse nequaquam posset, quæ non partes imas haberet validissimas.
- Plat. de LL. 3. fol. 816. Quin alius quispiam, cui unanimes scriptorum consensu palma in studio sapientiæ humana assignatur, audacter pronunciat: plurimos è regibus Persicis non nisi nomine fuisse magnos hanc

hanc solam ob causam, quod prima illorum ætas recta institutione caruerit. Horum à numero Ducem nostrum pie defunctum iure ac merito quàm longissimè segregamus, qui tale iecit vitæ futuræq; gubernationis suæ fundamentum, de quo initio statim boni cordatiq; omnes spem principis optimi & magno cum applausu conceperunt, & successis bonis aluerunt. Quid namq; hac in causâ efficacius, Timore Domini, cui se Celsitudo eius unice addixerat, quem Spiritus Sanctus ipse initium Sapientiæ non semel expressè nominat. Cuius autem sapientiæ? minimè lubrica istius & insipida, qua sæpè qui maximè crediti sunt excellere, in maximas per eam præcipitati calamitates fuerunt: sed illius, quæ in vera veri Dei consistit agnitione, malorumq; ac periculorum tam corporis quàm animæ amuletum certissimum, omnium verò consiliorum & actionum clarissimum lumen est. Pro testimonio instar omnium esse potest perpetuum Celsitudinis illius Symbolum: DEDVC ME DOMINE IN VERBO TVO. Verba sunt quidem numero pauca, sed DEVM immortalem quanti ponderis, effectus quanti, si è corde promanent credulo! quale principem nostrum habuisse extra omnem dubitationis aleam & merito quidem eius ponimus. Laudatur vulgò etiam consuetudo Philippi Macedonis, qui cum tanta vteretur successuum prosperitate, vt Demostheni propterea magnitudine rerum gestarum ebrius videretur, quotidie manè ac vesperi hæc sibi acclamari verba iusserit: Philippe, memento te hominem natum esse, quo animum ita suum ne insolesceret, mortalitatis cogitatione refrenaret. Verùm dubitet quispiam haud iniuria, plusne ad insolentiam coercendam, an verò ad incutiendum animis terrorem verba illa ponderis habeant: præsertim si nihil eis Euangelicæ consolationis adijciatur. Quin haud puto me quicquam dicturum absurdi, si ea ipsa cogitatione multos ad Epicuream delapsos securitatem fuisse dixerò. Quæ namque alia mouit Sardanapalum ratio, quod animum in aluo suum quasi defodiens, nihil equè sibi curæ esse, ac pelliculæ curam passus

Iobi 28. 28
& alibi.

Phil. 1. fin.

Aelian. V.

Hist. 8, 15.

Athen. lib. 7

fol. 336.

B

est?

Ibid. fol.
Præc.

Ibid.

est? nisi quod & moriendum sibi sciret, & post mortem nihil voluptatis expectandum persuasum haberet. Quæ alia, nisi eadem ista, extorsit Archestrato putidum istum factum, cui Gastronomias nomen imponere ipsi placuit? Quæ alia, nisi hæc ipsa suggessit Amphidi Comico temulentam hoc consilium: Bibe, ludo, vita mortalis est: Breue super terra tempus: Immortalis mors est, si quis obierit? Nihil igitur Philippi cura cogitatioq; ad nostri principis Symbolum, quo se in verbo D E I precatur deduci. Non audeo nunc longius euagari, ut dictis exemplisue ostendam, quæ verbi D E I sit natura, efficacia, utilitas. Hoc omnino certum, nihil habere votum illud, quod animum terrere, nihil quod turbare mentem, nihil quod frenum impie securitati laxare queat, sed & presentissimam Spiritus Sancti præ se ferre operationem: & cum in hac vita spondere felices rerum gerendarum successus, tum in altera possessionem beatitudinis sempiterna certissimam polliceri. Huic ergo fundamento Dux noster beatissimus vitam, studia, consilia, facta universa, discessum quoq; suum ex hac vita superstruxit: Huius beneficio maximo cum fructu institutus, cum summa eaq; humilima subditorum gratulatione tum accedere ad gubernationem, tum eidem præesse visus: ac tandem placidissime hinc ad cælestem vitam euocatus fuit: ut recte ita de ipsius CHRISTI sententia comparari poterit cum sapiente viro, qui super petram ædificat domum suam, indeq; non metuit, ne quid structuræ vel noceant imbres, vel impetuosi ventorum flatus officiant: sed tuto inibi atq; ex animi sententia muneris sui functiones administrat. Nimis errabat Anarchus, qui Alexandro Magno argumenta planè Sophistico persuadere conabatur, non esse, quod ob commissum facinus (tunc enim nescio, quid in Bacchum commiserat.) animi sese angeret. Si enim Ioui propterea veteres sapientes assistentem fecissent Iusticiam, quod quæ is decerneret, ea iustè facta censerentur deberent: etiam, quæ à magno aliquo rege fierent, iusta oportere tum ab ipso rege, tum à cæteris

mors.

Matt. 7: 24.

Arrian. lib.

4. fol. 84.

Plut. Moral.

fol. 369.

mortalibus existimari. Rectius è Pindaro Plutarchus, cum quaesivisset, quis imperabit imperanti? Lex, inquit:

Mortalium omnium & rex immortalium.

Quae verba, quid monent aliud, nisi nullam potentiam esse tantam, quae non divina Omnipotentiae subiecta sit, & ad eiusdem praescriptum sese conformare debeat? Est enim, ut idem autor scribit, iustitia legis finis, lex munus principis: princeps cuncta ordinantis DEI simulacrum, quod nisi exprimat per virtutem, nulla exprimi ratione potest. Intellexerunt id reges etiam Aegyptij, qui licet alios quidem monarchas ita vitam agere haud ignorabant, ut ad suum arbitrium omnia moderarentur, nullis censuris obnoxij: tamen ipsi uniuersa tum quae publicè gerenda essent, tum quae domi suae ut vitae quotidianae regimen rationemque victus ad virtutem legumque normam studiosè dirigebant. Idem beatissimum Principem nostrum non tantum sedulo semper fecisse, sed facilius etiam longeque minori facere negotio potuisse nemo negauerit, nisi qui nullum inter diem & noctem, aut lucem inter & tenebras discrimen agnoscit. Quo enim Aegyptij, quo ceteri vsi admiraculo, quid faciendum hac in causa esset, deprehenderunt, nisi maximam partem obtuso illo multisque modis corrupto & debilitato naturae aut rationis lumine? At noster princeps quo adiutus? Non quidem etiam illius Celsitudinis scintillula à lapsu primorum parentum in mente relictae splendor defuit, sed accessit lumen aliud splendore isto tantò illustrius, quantò facula ista, quam fatuam seu castoream dicunt, magnum hoc luminare, cuius tanta vis, ut aduentu eius omnis caligo dissipetur, terraque velut è spisso aliquo inuolucro, quo per noctem obtecta fuerat, euoluta rursus in omnium oculos incurrat. Quod verò illud? Nullum aliud, quàm quod modo fundamentum dixi vitae actionumque Celsitudinis illius, quodque Propheta regius pedibus suis lucernam esse affirmavit, hoc est, unicum vitae factorumque suorum ducem, cuius indicio tum intelligeret, quid fugere deberet, aut vita-

Ibid.

Diod. Sic.
lib. 1. fol. 63Psal. 119.
104.

re, tūc quid sequi aut eligere agnosceret. Nempe quod idem rex
 Sanctissimus toties fuit professus, nihil sese absq; DEI auxilio esse
 aut valere: id princeps etiam noster ingenuè professus est, nusquam
 se tuto vel pedem posse figere, id est, in nullo negotio non gravissimè
 balucinari, nisi diuini verbi norma regulaq; gubernaretur: Contra
 verò illo prauo nihil se vel metuere periculi aut erroris aut diffi-
 cultatis, vel prosperitatis, quod quidem necessarium sibi esset atq; v-
 tile, non sperare. Nec spes hac Celsitudinem illius fefellit. Nolo
 iam prædicare confecta ab eadē itinera, quæ ut varijs periculis non
 caruerunt, sic amplam de præsentia & liberatione diuina dicendi
 materiam suppeditatura essent. Suppeditaturum esset ampliorem
 coniugium: amplissimam verò numerosa & generosissima, & o
 quanta spes patriæ! soboles. Sed nolo hæc prædicare, memor insti-
 tuti mei, cui hoc maximè propositum, ut adolescentes studiosi præ-
 sentem luctum ad se quoq; pertinere agnoscant. Et confido ego, iam
 tum me aliquid effecisse apud eos, qui utcumq; conijcere iudicareq;
 possunt, quid valeat sincera pietas, quàm Timor Domini sit fructu-
 osus, quam deniq; beata terra, cuius princeps, ex quo vitam hanc
 ingressus fuit, hoc vnum semper curauit, ut timeret DEVM, pie-
 tatem coleret. Verum non inuoluendum interim silentio videtur,
 qualem se princeps noster, dum ad gubernacula sedit, gesserit. Nam
 inde cum primis fieri potest manifestum, quantum nobis bonum ere-
 ptum sit, hoc erepto principe. Inter vulgus quidem plurimos inue-
 nias, qui principes hoc differre arbitrantur à subditis, ut quam hi
 cœnent sumtuosius, domi plus habeant reconditum auri,
 largius somno indulgeant, minus conflictentur cum mo-
 lestia, totam deniq; vitam hilariorē, iucundiorē, libes-
 riorē transigant. Verum quis vnquam id credidit ex his, qui se-
 rio, quæ à principe requiruntur, considerârunt, aut factò ipso exequi
 studuerunt. Artifici aiunt de arte sua verba facienti credendum es-
 se. Quidni ergò credenda etiam, quæ boni ac fideles principes de
 principatu loquantur. Hunc autem plurimis cum molestijs, curis,
 diffi-

Xenoph lib.
 1. Cyrop. fo.
 27.

difficultatibus coniunctum esse optimi quique omnibus temporibus
 affirmarunt. Et quam oportet esse arduum, eum qui homo est, ita
 vitam suam instituere, ut DEVS quidam inter homines videatur:
 nam DEI simulacrum esse bonum principem iam ante ostendi.
 Quam graue, quæ singula in singulis spectantur, laudanturque, illa
 in principe vniuersa requiri, quando ad exemplum eius subditi non
 minus consueuerunt sese componere, quam ipse DEI effigiem repre-
 sentare debet: Quam laboriosum, in eo situm loco, qui omnium est
 expositus oculis, tanta in gubernandis moribus uti prudentia, ut
 ne quid fiat, quo spectantium aliquis offendatur, seducatur, corrup-
 tatur? Ea namque principum est ratio, quod Cyrus filios suos iam
 morti vicinus monebat, ut, quæ agunt, caligine inuolui ne-
 queant, sed in clarissima omnium mortalium luce versen-
 tur, si vel architectum adhibeant istum, qui Liuius Druso promit-
 tebat, se ita domum ædificaturum, ut à conspectu libera,
 immunis ab omnibus hominibus esset. Quam denique mo-
 lestum, qui omnia fecit, quæ debuit, aut certe quæ potuit, bono et-
 iam cuius satisfecit, eum nihilominus iniquis obtrektorum oculis
 corrigi, reprehendi, iraduci! quod malum vix aliquem magis
 quam principes, experiri crediderim. Hæc est ergo (tamen si multa
 omittam) principatus conditio, qua nonnulli nihil delicatius, nihil
 plenius voluptate, iucundius nihil putant. Haud ita sentiebat
 Cambyfes, qui Cyro filio hanc opinionem, quod imperare in-
 gens arduumque opus esset, cum primis volebat commendatam:
 haud ita Diocletianus, qui nihil difficilius esse, quam bene
 imperare, dictitabat: haud Antigonus ita, qui regnum su-
 um nobilem aut splendidam seruitutem, nuncupabat. Ta-
 ceo non istiusmodi cogitationibus nullos permotos, ut potestatem
 planè deposuerint, quod de Sylla refert Appianus, aut deponere cu-
 piuerint, quod Dion de Augusto commemorat. Redeo ad no-
 strum principem, qui an simili usus fortuna sit, ac descripta est, du-
 bito, an quisquam dubitandum censeat. Equidem non simili tan-

Xenoph. lib.
 8. Cyrop. fo.
 237.

Plut. præc.
 polit. f. 388
 Vell. Patere.
 lib. 2. p. 37

Xenoph. lib.
 1. Cyrop. fo.
 26.

Fl. Vopisc.
 in Aurel. fol.
 282.

Aelian. V.
 Hist. 2. 20.

Lib. 1. de
 bell. ciuil. fo.
 350.

Lib. 52. Xi
 pht. fol. 191

tum, sed etiam qua Christianus fuit, & Ecclesia Christi suis in ter-
 ris nutritus, contraq; Satanam ac venenosa eius organa protector,
 longè adhuc, quàm vel Diocletianus, vel Sylla, vel Antigonus, vel
 quisquam alius è gentilibus grauiore usum fortuna fuisse, absq; me-
 tu contenderim. Non autem felicius & animosius Celsitudinem e-
 ius, quàm gentiles obiectas sibi molestias ac difficultates sustinuisse
 ac superasse, minimè dixerim, immò strenuè negauerim, fretus illis
 qua iam ante prolixè disserui de voto, quod studiorum actionumq;
 Celsitudinis eius ceu fundamentum quoddam aut lumen extitit.
 Sed ais fortè, non satis esse principem pium esse ac resistere difficul-
 tatibus, si qua accidant, sed insuper etiam in eo prestantissimas
 quasq; virtutes requiri. Has verò nunquis in hoc nostro desiderauit
 Fl. Vopisc. unquam? Ausim affirmare, qui olim in vno annulo bonos
 fol. 282. principes posse perscribi atq; depingi dixisse fertur, eum o-
 mninò in horum numero Celsitudinem quoq; illius, si hanc nouis-
 set, positurum fuisse. Nam qua virtutes principi sunt imprimis ne-
 cessaria, quo subditos & sui amantes, & ad nutum suum in quibus-
 uis negotijs paratos habeat, suaq; dignitati quam rectissime consu-
 lat? Benignitas, inquit rex sapientissimus, procul dubio suo ipsi-
 Prou. 20.8 us exemplo edoctus, Benignitas & fides custodiunt regem,
 cap. 15.12 & sustentat benignitate folium suum. Et alibi: Iusticia stas
 cap. 29.4. biliri folium: Ac rursus alibi: iudicio regionem stabiliri
 pronuntiat. Quibus verbis tam similis, quàm lac lacti esse potest
 Lib. 14. fol. Diodori sententia: Maiestas principum beneuolentia & ius-
 398. ticia sustentatur. Et an non graphicè, presertim quod alteram
 De 4. cōsul. virtutem attinet, Claudianus:
 Hon. v. 281 Non sic excubiæ, nec circumstantia tela
 Quàm tutatur amor.

Amare igitur subditos, subleuare miseros, afflictos non aspernari,
 oppressis subuenire, erga omnes beneuolum, placidum, clementem
 esse, tam nemini iniuriam vel ipsum facere, vel pati ab altero fieri,
 execrari calumniam, veritatem diligere, punire ac reprimere delin-
 quen-

quentes, bonos defendere, promouere, honoribus, præmijs, dignita-
 tibus ornare: hi sunt nerui, quibus sibi princeps deuincit subditos:
 hæc Sirenes, per quas se illis commendat: hæc philtrea, quorum ope a-
 nimos ipsorum pellicit, permulcet, ad mutuum amorem prouocat:
 hi custodes fidelissimi, hæc tutissima excubia, hæc propugnacula &
 munimenta regni, dignitatis, autoritatis firmissima: his instructus
 suis carus est, vicinis iucundus, admirabilis exteris, D. E. O ipsi gra-
 tus acceptusq;. Talem igitur Principem nostrum fuisse planissime
 affirmo, nec quenquam e vobis, auditores lectissimi, non idem affir-
 mare certò mihi persuadeo. Ac si Aurelianus, à multis neq; inter Fl. Vopisc.
 bonos neq; inter malos principes posito, idcirco fuit, quod ei Clemen- fol. 282.
 tia Imperatorum dos prima defuit, an non inter optimos hic
 noster referatur, è cuius vultu, sermone, actionibus vniuersis nihil
 magis, quàm benignitas eluxit & clementia: cui pacis & tranquil-
 litatis publicæ conseruatio vnicè cura fuit, quem subditorum salus
 & incolumitas æquè aut vehementius etiam quàm sua ipsius soli-
 citum habuit? Quid dicam de puritate religionis? in qua summa
 & vera hominum pax & beatitudo sita est, quam Celsitudo eius
 tanto amplexa fuit ardore, tanta deuotione coluit, tanto animo con-
 tra impios aduersariorum errores, quibus pro tempore opus fuit ra-
 tionibus propugnauit, ut viuam in ea beatissime defunctorum Fra-
 tris, Parentis, Aui & Praaui effigiem agnoscere licuerit. Quantum
 subsidij celeberrimæ Academiae Ienensi nouo quodam munificentia
 argumento haud ita pridem attulerit, predicandum (est enim præ-
 dicatione dignissimum) relinquo alijs. Ego non tam prolixè id per-
 sequi, quàm non planè tacitus præterire volui. Etiam ditioni huic
 Hennebergicæ peculiare quoddam clementiæ specimen exhibuit in
 eo, quod cum recens natum generosissimæ indolis filiolum FRI- Nat. 7. Feb.
 DERICVM WILHELMVM Seruatori nostro per salutem bapt. 13. es-
 ferum initiationis Sacramentum presentaturus esset, inter alias iusd. anno
 personas Illustrissimas eam quoq; testem adhibere voluit. Habuit 1603.
 quidem interdum flagitante ita iusticia, malitiaq; hominum insti-
 gante

Præcepto
82. Instit.
regie.

Diod. Sic.
lib. 1. f. 45.

De LL. 3.
fol. 816.

Prou. 31. 4

gante necesse personam induere seueriorem, sed inuitus magis quam ex animo, ideoq; sedulo dedit operam, ut semper, quod Manuel Paleologus Imperator facere filium suum iubet, frigori aliquid suauitatis, hoc est, seueritati mansuetudinis aliquid misceret: quantumq; res ferret, quo nomine suum Ægyptij sacerdotes regem deprecabant, minores delictorum meritis irrogaret pœnas, & amplio beneficio gratiam benemeritis rependeret. Non sino mihi remoram facere hos, qui me forte, quod dubitent, unquamné princeps conspectus à me fuerit, rectè omnia, quæ dixi, haud scire susurrabunt. Quasi verò lucem hanc diurnam agnoscere nequeam, nisi videam & Solem lucis fontem, nec sentire, quem sentimus tamen omnes, calorem, nisi à quo is proficiscitur etiam ignem aspiciam, nec deniq; pulsus campanæ audire, nisi campanam ipsam oculis una comprehendam. Non igitur remoram, susurros istos facere mihi sino, quò minus proferam, quæ adhuc restant, Plato, haud infelix ille inter suos constituendæ Reipublicæ autor, ad gubernandam politiam, idoneum censet, non qui diuitijs præstet, aut emineat robore aut forma seu velocitate alios superet, sed qui virtute, nominatim verò temperantia excellat. Cur autem temperantia potissimum? Rationes Philosophi ego hic non persequar: sufficiet, spero, quam Lemuel vel Salomon à matre instillatam sibi refert: noli regibus, inquit illa, ô Lemuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas, ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutant causam filiorum pauperis. Sed dicat aliquis, ergone vini usu interdictum regibus & principibus? quibus tamen is vel maxime videtur permittendus? Vbi enim plus laboris, difficultatis, molestiæ, quam in magistratu præsertim summo? quis autem corpore tam valido, tam firmo esse potest robore, qui non debilitetur, frangatur, corruat, si laboret absq; intermissione, difficultatibus perpetuo fatigetur, molestias non aliqua respiratione ac hilaritate interrumpat aut mitiget? Quam ad rem nunquid magis accommodum vino?

vino? quod hoc imprimis sine ab ipso Spiritu Sancto perhibetur Psal. 104.
 conditum, ut curis vitæ aut officij lassum hominis animum 15.
 recreet ac reficiat? Ego verò minimè id arbitror Platonem
 quidem agere, ut fungentes magistratibus prorsus à vini potu pro-
 bibeat. Etsi enim ab alijs scribit, vinum dici ad ultionem ho- De LL. 2.
 minibus datum, ut insaniant: tamen ipse longè honorificentius fol. 800.
 medelam id esse ad conciliandum animo pudorem, cor-
 pori verò sanitatem ac firmitatem virium tribuendam
 iudicat. Rex autem ille, cui sapientia non humana tantum, sed &
 diuina, nemo vnquam mortalium par fuit aut futurus est, etsi fate-
 tur, se quodam tempore in ea fuisse sententia, ut usum vini & lau- Eccles. 2. 3.
 tiorem viuendi modum studio sapientie officere, crediderit, tamen
 post longam deliberationem disertè concludit: nonné igitur me- Ibid. v. 24.
 lius est homini cōcedere, & bibere & exhilarare animam
 suam in labore suo. Et non multis interiectis iterum: agnoui, Cap. 3. 12.
 inquit, quod non est in eis meliùs, nisi lætari, & oblectare
 vitam suam, & comedere, & exhilarari labore suo, omni
 homini: hoc donū DEI est. Quod igitur in omni re cumpri-
 mē & pulcrum iudicatur & necessarium, ut iustus seruetur mo-
 dus, idem de vino quoq; ac iucundiore vite cultu Salomoni à Bath-
 seba commendatum statuo. Sicut enim nihil tam esse potest utile,
 quin euadat perniciosum, si modus eius violetur: sic vinum, quod
 precipuum est inter ea, quorum appetitum & usum temperantia
 gubernat, si nimium sumatur, non potest non multis modis noxi-
 um reddi, cum alijs, tum verò his, qui rerum summae præsumunt, non
 tantum impediens manus, linguam, pedes, ne facere officium suum
 valeant, sed vires quoq; animi ledens, iudicium hebetans, corrup-
 pens memoriam, consilij facultatem omnem adimens. Hæc ergo &
 alia, quæ copiosè adhuc dici hæc de re possent, cum princeps noster
 laudatissimus probè intelligeret, maturè vitam ita suam institue-
 bat, ut appareret (loquor quod vno loquuntur ore omnes) Celsitudi-
 nem illius sibi quasi imperasse præscriptos à temperantia terminos

C

tanta

tanta religione obseruare, ut nemo sibi iure vel immoderatum ex-
 probrare luxum, vel indecentes sordes obijcere posset: utq; grauita-
 tem impositi sibi oneris optimè sentiebat: sic dignas viro principe,
 recreationes captare, ubi res tempusq; inuitarent, haud verebatur.
 Sapiantissimum fuisse Imperatorem ac pietate maximè insignem
 Manuelem Palaeologum è præceptis educationis regie ab eo conscri-
 ptis liquido constat. In illis ipsis autem hortatur filium, ut post-
 quam clauum imperij suscepit, è libris interdum, interdum
 ex amœno ruris aspectu, aut venationibus petat solatis-
 um, quo prostratas animi vires recolligat. Secutus igitur
 consilium istud fuit & noster princeps, & nunc quidem egressus in
 siluas venatione animum à negotijs grauioribus auocatum oblecta-
 uit, nunc verò domi adhibitis ad mensam cantoribus & instru-
 mentis Musicis, immò haud rarò ipsemet Musicam voce aut manu
 exercens, collecta è rerum seriarum tractatione tædia suauiter dis-
 cussit. Quod tanti principis exemplum utinam valere apud se a-
 liquid paterentur, quibus adeò Musica contemptui est, ut se nobili-
 tatis aut insignium suorum puteat facturos iacturam, si quicquam
 in arte isthac opera temporisue collocent. Atqui secus Propheta re-
 gius iudicauit, qui toties citharæ aliorumq; instrumentorum
 cantum ad celebrandas DEI laudes exuscitat. Alia fuit mens Sa-
 lomoris, qui se ad regiam maiestatem exornandam, cantores si-
 bi & cantatrices parauit, significat. Contrarium sensit A-
 chilles etiam, qui summam indignationem, ad quam erat ab Aga-
 memnone adductus, solo Musices exercitio consolatur. Et quis non
 demiretur, hanc sibi rem istos homines ignominiosam ducere, quàm
 ipsa scriptura sacra, ut Homeri & aliorum testimonia missum faci-
 am, tantopere prædicat, ut eam in moderato, nec Cyclopico
 conuiuio inclusi auro Carbunculi aut Smaragdi more lu-
 cere, asseueret? Sed lapidem ego hic ferio, & quid multa de Mu-
 sica loquor, quæ sicut læti est, ut cum poeta loquar, argumentum
 animi, sic à nobis hæctenus prorsus exulat. Nam habuimus (ô mi-
 sera-

Præc. 80.

Psal. 150.
& alibi.

Eccles. 2.8.

Iliad. i. 186

Sir. 32.5.

Metam. 4.
vers. 761.

ferabile verbum!) habuimus principem hunc nostrum, cuius quò
 maior fuit erga sinceram religionem propensitas, erga publicam
 tranquillitatem affectio constantior, illustrior erga subditos clemen-
 tia, eo grauiores discessum illius à nobis prematurum lugendi caus-
 sas habemus. Quod quidem Celsitudinem eius per se attinet, me-
 rito & DEO misericordiam agimus gratias, quod tam citò illam ex
 erumnoso mortalis vitæ huius ergastulo transtulit in terram verè
 sineq; omni cura & solitudine viuentium, & ipsi quoq; Principi
 felicitatem istam, qua maior esse, aut cogitari nequit, aut veriùs, cui
 comprehendenda nulla cogitatio par est, ex animo gratulamur. Fe-
 cisse ita quodammodo nonnullos etiam è gentilium numero vide-
 mus, quibus tamen, quod futura in cælis vita, aut prorsus nullam
 noticiam, aut spem certè haberent nullam, parcius lugere Apostolus
 Christianos iubet. Mortuo namq; Antonino Philosopho Imperato-
 re, tantum eius amorem die funeris claruisse scribunt, vt
 nemo eum plangendum censuerit, quod à dijs commo-
 datus ad deos redisset. Sed ô miseri homines, ad quos deos re-
 dijt! Immò nostrum principem non censemus plangendum, qui re-
 uersus est ad DEVM verum, atq; unum illum in essentia, & Tri-
 num in personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui eui-
 dentissimis se humano generi testimonijs, signis, miraculis patefecit,
 à quo, vt omne bonum ac salutare donum, ceu è fonte quo-
 dam promanat inexhausto: sic bonos etiam principes non aliunde
 proficisci, certum est. Ipse est, à quo potestates inter homines
 ordinantur: ipse est, qui regna constituit & transfert: Ab
 hoc datus erat nobis & hic noster princeps, ab eodem nunc reuoca-
 tus est: hunc iam intuetur, huius conspectu exhilaratur, hic ipsi
 pluris est, quàm omnes mundi opes, quàm regna mundi omnia.
 Quid est ergò, inferat quispiam, quod tantopere nunc efflagitan-
 tur publica luctus indicia, principe ad talem conditionem euecto?
 Fecerint sanè ita Thraces, vt natales hominum flebiliter, ex-
 equias cum hilaritate celebrarent: ac visi fuerint idcirco

1. Theff. 4.
 13.

Iacob. 1. 17

Rom. 13. 1.

Dan. 2. 21.

Anthol. 1. laudandi Arabia, Valerio sapientes appellandi: tamen nobis po-
 Val. Max. tiora sint exempla & rationes, quibus contrarium serio commen-
 2. 6. datur et precipitur. Certè nec vniuersi Thracæ id in more habue-
 Libr. 5. fol. runt positum (nominat enim Herodotus Trausos tantum, qui
 330. et seq. Thracia populus sunt, ac mox cæteros funera optimatum fle-
 tu prosequi, expressè tradit) & aliàs passim eundem seruatam,
 seruariq; morem historia & experientia luculenter confirmant. Et
 Diod. Sic. quid? quod Aethiopes dicuntur regis sui tum casibus ad-
 libr. 3. fol. uersis, tum morte adeò affligi, vt non modò si quacuncq;
 102. illi de causa membrum aliquod corporis mutilatum sit,
 omnes eius familiares id ipsum sponte sibi decurtenant, sed
 communem quoq; cum illo mortem oppetant, eumq;
 interitum gloriosum & sinceræ amicitiae testem prædi-
 cent. Sed nihil opus fortasse ad hunc modum plura me cogere.
 Licet enim quod memoravi de Trausis: idem vniuersa fecisset &
 adhuc faceret turba istorum, qui ab Ecclesiæ CHRISTI commu-
 nione sunt alieni: tamen haud esset, quod eos pluris faceremus,
 quàm clarissima sacra Scriptura mandata & exempla, quorum o-
 2. Sam. 3. mnium instar in presentia nobis sit, quod occiso in prælio Abnero,
 David cum ipse mortem illius acerbissimè deslet, tum verò ad pu-
 blicum luctum vniuersum exhortatur populum, addita ratione
 hac grauissima: Num ignoratis, quod princeps & vir ma-
 gnus cecidit hodie in Israël? Ego autem hodie tener sum,
 & rex vnctus & viri illi filij Zerua mihi duri sunt. Quem-
 Ver. 33. & admodum igitur non tam Abneri, cuius pium obitum vehementer
 34. prædicat, quàm populi & suam ipsius vicem David miseratur, si-
 quidem populo dux fortissimus, sibi verò fidelissimus Consiliarius
 ereptus esset: sic nos etiam angere debet, non beatitudo quidem,
 quam princeps noster consecutus est, quæ namq; ista esset inuidia?
 sed tum grauissimus, qui ex inopinato Celsitudinis eius obitu Illu-
 strissimam viduam, summâq; indolis filios affligit mæror: tum se-
 dula malorum, quæ discessus illius adeò subitus portendere videtur.

confi-

consideratio. In corpore humano tantum esse apparet capitis ac ceterorum membrorum consensum, ut si quid illi doloris accidat, eodem hæc quoque perinde afficiantur, atque si singula seorsim læsa essent. Quidni ergo & ad nos pertinere censeamus ægritudinem, quæ hoc casu magnam nostri omnium capitis partem miserè premit, cruciat, conficit? De malis, quæ vereor, mecumque scio, boni omnes verentur, ne hoc tam clementis, & in ipso quasi ætatis flore adhuc constituti principis obitu tam improviso nobis portendantur, si vellem dicere, noua oratio mihi ordiendæ esset. Nam exiguum illud, quod restare sentio, temporis spacium ad explicanda omnia minimè sufficit. At sciunt omnes, quid Turcæ iam multos annos machinentur, quantis Christianos oppugnent viribus, quantis cladibus afficiant: quàm aliorum, quos pene amicos censemus, acerba in nos sint odia, quàm consilia cruenta, quàm conatus nefarii, res ipsa loquitur: Rumores verò de gliscentibus immò ardentibus internis motibus dicam, an seditionibus? ubi parum, credo, abest, quin (ô miseria!)

In sua victrices conuertant viscera dextras;
 rumores inquam isti, ad cuius aures non pridem peruenerunt? Tali autem rerum statu, quo magis calamitosum dubito, an vllum seculum cognouerit, quid speremus boni, quid felicitatis expectemus? præsertim DEO interim ex omnibus vitæ ordinibus pios sanctosque homines, qui muri esse contra imminentes calamitates poterant, cæternatim quasi auocante? Gallinam videmus, ubi animaduertit vulturem adesse, aut ingruere tempestatem sentit, pullos statim suos conuocare, aliosque inclusos ab iniuria & pluuijs defendere. Vnde autem hæc industria illi nisi à DEO? qui per brutas naturas suos nos consuetudinis vult commonefacere. Quod igitur hæctenus principes è caduca huius vitæ commercio in ipso ætatis flore aufert, qui conseruandæ pacis propugnandaque religionis sinceræ unice fuerunt studiosi, quod è Theologis eos, qui columna videri Ecclesiæ poterant, oculis hominum subtrahit, quod denique alios etiam pietate atque integritate morum conspicuos mortalitati huic valedicere iubet:

Lucan. 1. 3.

bet: quid inde colligamus aliud, nisi oportere magnas impendere calamitates, à quibus ipse prestare immunes dilectos suos cupiat, cæteris miseria relictis & exitio, nisi mature agnoscant peccata, & vitam moresq; corrigant?

Hæ sunt, adolescentes, hæ sunt rationes, quibus auocari iam ab hilaritate, ob quas in luctu esse, & squalore nos decet: tales omnino & tanta, ut si rectè perpendissetis antea, facturi ultrò fuissetis, ad quod hac oratione mihi exuscitandi videbamini: utinamque tum vos exuscitasset feliciter, tum ita demandato mihi muneri satisfacissem, ut qui precibus adducti meis, huc accesserunt viri Reuerenda dignitate, Amplitudine, prudentia, doctrina & integritate præstantissimi, quò præsentia exemploq; suo aliquam dictis meis auctoritatem conciliarent, eos temporis hic consumti ne pœniteret. Propitius esto nobis, ô æterne Pater (qua enim re potius claudam, quàm tali precatone? obliuiscere, quibus te offendimus, peccatorum nostrorum, quas sumere à nobis decreuisti, pœnas benignè auerte: serua quam inter nos collegisti Ecclesiam, & ne quid eam corruptelæ aut erroris turbet prohibe: consolare Illustrissimam viduam, & quotquot præsens luctus affligit, Domino ELECTORI ac cæteris Saxonie ducibus, fidelissimis Ecclesie tuæ nutritijs, Dominis nostris clementissimis vitam ac valetudinem prosperã in multos annos proroga, ab insidijs & machinationibus hostilibus Celsitudines eorum fortiter defende: cogitationes & actiones vniuersas Spiritu Sancto tuo ita guberna & moderare, ut cum primis cedant in sanctissimi nominis tui honorem, ac Ecclesie puriorisq; doctrinæ conseruationem utiles sint, foueant pacem & tranquillitatem publicam, studia deniq; literarum, ut alibi, sic in hoc nostro quoq; Gymnasio iuuent, orneant, promoueant: quod te, ô clementissime Deus, pater misericordie, supplex oro, per meritum Filij tui CHRISTI IESU, Seruatoris nostri vnici, qui tecum in unitate Spiritus Sancti viuit ac dominatur in omnem æternitatem.

D I X I.

dére
 ce-
 vi-
 iam
 es o-
 fuis-
 am-
 une-
 viri
 inte-
 dictis
 cœni-
 clan-
 pec-
 nignè
 leam
 m vi-
 ORI
 domi-
 cultos
 itudi-
 s Spi-
 ant in
 trina
 publi-
 mna-
 us, pa-
 I-

No 579 A

h c

ULB Halle
004 967 348

3



1077





prematuro
 Huic igitur
 nomine sup
 à vobis, qu
 lescentia stu
 ximè cupim
 ubi verba t
 luero, veni
 cturos nulli
 sed inssu ho
 te officio h
 qua de per
 natalibus:
 us, quàm p
 Nam quan

Τῆς ἀεικλιῆς
 ἀεικλιῆς, ἢ
 μὴ κακοδαι
 μωνες υἱοί.
 Plut. in V.
 Arati princ.

suorum m
 hil ad eum
 contigit in
 queq, mai
 citatis qua
 lebret ipse,
 Plutarchu
 cùm hoc a

Qui
 Τῆς ἀεικλιῆς
 ἀεικλιῆς, ἢ
 δαίμωνες υἱοί
 Plutar. περὶ
 repudiato
 Qui
 Ac si rec



s prænuncient.
 Gymnasij etiam
 us declaremus.
 terea dum ado
 illam scire ma
 benignas, & sic
 offerre haud va
 quidem vos fa
 sumsisse temerè,
 ea, sed flagitan
 templurimum,
 ateria solent aut
 illum sequi poti
 dicendi eligere.
 ius apud Græcos
 n studiosi di
 dati: quærentes
 onsequi proprijs
 id tanti esse mo
 orifica maiorum
 predicatione ni
 Etenim cui talis
 ad præclarissima
 et, quod in feli
 m ponat, siue ce
 ta cum Pindaro
 hus Chrysippus.
 s?
 ?
 in liberos etiam
 dede-

